

EPISTULA LEONINA

CXLII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXL** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SECUNDAM (142) !

ARGUMENTA

FABELLA GRIMMIANA: De Friderico atque Catharina Lisula... 04 - 11	
DE FRAUDE CLIMATICA (IV).....	12 - 29
1. ALBERTUS GOREUS PSEUDOPROPHETA	15 - 21
2. DE MENDACIIS ALBERTI GOREI.....	22 - 25
3. NUM ALBERTUS CORRUPTUS EST A GEORGIO?.....	26 - 29

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quadragesimam secundam.

*Primo aspecta cimelium in thesauro fabellarum Grimmianarum inventum, cuius personae praecipuae sunt **Fridericus atque Catharina Lisula** muliercula stupidula, tamen haud infelix. Hac fabellâ helluatus cum eris, revertaris, quaeso, ad Fraudem Climaticam. Hac in parte seriei quartâ agitur **de Albert Goreo pseudoprophetâ**, qui apocalypsi praedicendâ hominibus terrorem inicere non desinit, ut iidem gratis animis solvant vectigalia et impensa climatica. Reverâ usque nunc nulla eius praedictionum umquam est ad veritatem adducta¹. Tamen novo cinemate apocalypticum confecto Albertus iam senescens pergit mentiri. Quidnam causae est? Quaedam veritas videtur percolata esse per rimam informaticam. Revelatores enim dicunt Albertum miliardarium climaticum a Georgio Soros esse corruptum. Lege et mirare! - Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 142 tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Lunae, 02. m.Oct., a.2017**

¹<http://dailycaller.com/2016/05/03/an-inconvenient-review-after-10-years-al-gores-film-is-still-alarmingly-naccurate/>. - <https://www.eike-klima-energie.eu/2017/04/12/weil-al-gore-die-klimazukunft-so-ueberzeugend-vorhersagt-macht-es-nichts-dass-sie-oft-falsch-ist-danach-wird-eben-ueber-eine-neue-berichtet/>



QUO USQUE TANDEM ABUTERE ... ?

FABELLAE GRIMMIANAE

59. De Friderico atque Catharinâ Lisulâ




LABBE'

Aliquando erat quidam vir, nomine *Fridericus*, et quaedam mulier, nomine *Catharina Lisula*, qui connubio inter se coniuncti convivebant iuvenes coniuges. Aliquo die Fridericus: »Nunc, Catharina Lisula« inquit »abiturus sum aratum. Me reverso oportebit in mensâ positum sit aliquid assatum ad famem et recens potulentum ad sitim explendam.« Catharina Lisula autem respondit: »Abeas, Fridericule, equidem tibi satisfaciam«.



Tempus cenandi cum immineret, iuvenca botulum e camino allatum sartagini imposuit, butyrum apposuit, sartaginem foco superposuit. Tum botulus, cum assari inciperet, stridebat. Catharina Lisula autem adstans atque manubrium sartaginis tenens deliberabat; subito eidem in mentem subvênit hoc: »Antequam botulus satis assatus erit, fieri poterit, ut tu in hypogeo potulentum e dolio infundas in cantharum.«

Itaque manubrio sartaginis defixo cantharoque apprehenso Catharina Lisula descendit in hypogeum et cervesiam e dolio effudit. Iuvenulae, dum cervesiam cantharo incurrentem aspectat, in mentem vênit hoc: »Heus, canis non est mihi addictus, timeo, ne iste botulum e sartagine eripiat, cave istud ne facias!« et sine morâ iuvenca per scalas hypogeum reliquit; at canis Pomeranus botulum iam rostro impositum super humum abstraxit.



Sed Catharina Lisula impigra canem persecuta aliquamdiu per campum venata est; at canis, qui celerius curreret quam Catharina Lisula, botulo non amisso per agros prosiliebat. Catharina Lisula »Perdidi!« cum dixisset, reversa, cum currendo esset fatigata, ibat lentiusculê, ut refrigesceret. Interim cervesia e dolio excurrere non desinebat, nam Catharina Lisula epistomium non retorserat, et cantharo completo alioque spatio non relicto cervesia decurrit in hypogeum nec prius desiit decurrere quam totum dolium erat evacuatum. Catharina Lisula autem malum suum iam in scalis stans cum conspexisset, clamavit: »Eheu, quidnam nunc faciam, ne Fridericus hoc animadvertat!« Muliercula paulisper cum deliberasset, tandem recordata est in granario adhuc positum esse saccum pulchrâ farinâ tritici completum, qui emptus esset proximis in encaeniis; eodem delato se farinam cervesiae inspersionem esse. Catharina Lisula: »En vide:« inquit, »tempore qui rei pepercerit, habebit eam in angustiis«, granario

ascenso saccum delatum sine morâ iniecit in cantharum cervesiâ completum, ut idem vas inverteretur et in hypogeo nataret etiam potio Friderici. Catharina Lisula: »Hoc quadrat,« inquit, »ubi unum est, oportet sit alterum« farinamque dispersit per totum hypogeum. Hôc labore exanclato vehementer laetata dixit: »Eia quam pura putaque hîc sunt omnia!«



Circa meridiem Fridericus domum revertit. Is: »Heus uxor, quidnam mihi parasti?« »Eheu Friderice,« illa respondit, »volui quidem tibi assare botulum, sed me cervesiam promente canis illum e sartagine eripuit, me canem persequente cervesia decurrit meque cervesiam farinâ tritici siccante cantharus quoque inversus est; at sis contentus, nam integrum hypogeum nunc resiccavi«. Tum Fridericus: »Catharina Lisula, Catharina Lisula, hoc facere non debuisti! Quidnam botulum sinas auferri cervesiamque e dolio excurrere

necnon effudisti farinam nostram subtilissimam!« »Heus Fridericule, hoc nesciveram, hoc mihi dicere debueras«.

Maritus autem secum cogitavit: »Sic si uxor tua se gerit, oportet melius provideas.« Nunc summulam thalerorum collegerat, quam cum terunciolis permutavit et Catharinae Lisulae dixit: »Viden' hos terunciolos flavos, quos ollae inditos in stabulo sub praesepe vaccae infodiam; at tu cave ne adeas, alioquin male te habebis.« Illa autem: »Nequaquam, Fridericule« inquit »certê non adibo.« Cum Fridericus abiisset, propolae catinos ollasque fictiles venales proponentes in vicum venientes iuvenem mulierem rogaverunt, num quid emere vellet. Tum Catharina Lisula: »O, vos cari homines,« inquit, »nullam pecuniam cum habeam, nihil possum emere; vos si egetis flavis terunciolis, aliquid emere velim«. »Flavos terunciolos quidni comprobemus? Fac ut videamus«. »Ite in stabulum et sub praesepe vaccae solum effodite, ut inveniatis flavos illos terunciolos, mihi non licet adire«. Furciferi autem illuc ierunt, foderunt, terunciolosque invenerunt auri solidi. Deinde iisdem subbaiulatis, ollis catinisque relictis aufugerunt. Catharina Lisula sensit sibi adhibenda esse nova vasa; sed quia in coquinâ vasa non deerant, omnes ollas fundis pertunsis ornandi causâ infixit palis saepimenti domui circumiecti. Fridericus autem cum veniret novo ornamento conspecto: »Catharina Lisula, quid fecisti?« »Haec vasa, Fridericule, êmi pro terunciolis illis flavis, qui fuerunt sub praesepe vaccae; at ipsa illuc non adii, propolis teruncioli erant effodiendi«. Fridericus: »Heu, uxor,« inquit, »quidnam fecisti! Qui non fuerunt teruncioli, sed baluces, et tota possessio nostra; istud facere tibi non licuit«. »Heus Fridericule,« illa respondit, »hoc nescivi, quidni mihi antea dixeras?«

Catharina Lisula paulisper stans deliberavit, deinde locuta est: »Audi, Fridericule, aurum illud recipiemus fures persecuti.« »Agedum, veni, conemur; sume autem tecum butyrum et caseum, ut in itinere habeamus aliquid comedendum«. »Hoc faciam, Fridericule, illas res mecum sumam«. Profecti sunt; Fridericus autem cum iret velocius, Catharina Lisula lentius illum secuta est. Quae secum cogitavit: »Prodest mihi retardatio, nam si revertemur, aliquantum itineris iam perfecero«. Nunc ad montem venerunt, ubi in utroque viae latere erant orbitae profundae. Tum Catharina Lisula: »En vide,« inquit, »misera humus quam vehementer est discissa, vexata, suppressa! Haec quidem


non iam reconvalescet per totam vitam suam«. Quâ erat misericordiâ, muliercula orbitas butyro inunxit in parte dextrâ sinistrâque, ne tam vehementer rotis supprimerentur; cum autem miserita dorsum inflecteret, caseus e perulâ decidit et per montem est devolutus. At nunc Catharina Lisula: »Cum iam per montem ascenderim, non descendam, alius illuc currat et caseum secum referat«. Ergo alterum caseum sumptum devolvit. At casei cum non reverterentur, muliercula tertium quoque sivit decurrere secum cogitans: »Fortasse« inquit, »illi exspectant sodalem, quia nolunt ire sôli«. Cum autem omnes tres casei non redirent, Catharina Lisula: »Nescio« inquit, »quid hoc sibi velit: Sed nescio num tertius errans viam non invenerit, itaque nunc mittam quartum, ut illos advocet«. At quartus rem non melius fecit quam tertius. Tum Catharina Lisula stomachata quintum quoque et sextum deiecit, qui fuerunt ultimi. Paulisper muliercula constitit attentê exspectans, num venturi essent, at cum non venirent, Catharina Lisula: »O vos« inquit, »bene mittimini ad mortem advocandam, nam diu reditum remoramini, vosne opinamini me diutius vos velle exspectare? Equidem proficiscar, vos me sequamini, quia pedes vestri sunt iuniores meis«. Catharina Lisula abiit et invênit Fridericum, qui constiterat uxorem exspectans, quia esurivit. »Cēdo ea quae tecum attulisti«. Catharina Lisula ei dedit panem siccum. Maritus rogavit: »Ubinam sunt butyrum et caseus?« Catharina Lisula: »Ah, Fridericule,« inquit, »butyro orbitas inunxi, casei autem mox revenient; unus enim cum aufugisset, alios misi, ut illum advocarent«. Tum Fridericus: »Non licuit tibi, Catharina Lisula« inquit, »butyrum viae inungere et caseos de monte devolvere«. - »At Fridericule, oportuit, ut hoc mihi diceres«.

Deinde unâ panem siccum comederunt; Fridericus autem: »Catharina Lisula, num abitura domum obserasti?« »Non obseravi, Fridericule, quidnam mihi antea hoc non dixisti?« »Ergo redi domum et ante domum observa, quam pergemus iter facere; necnon aliquid aliud affer comedendum, equidem hîc te exspectabo«. Catharina Lisula rediit secum cogitans: »Fridericulus aliquid aliud vult comedere, butyrum et caseus ei non videntur sapere, ergo mecum auferam pannum, quo involvam poma arida urceumque aceti plenum«. Deinde muliercula ianuam superiorem obseravit, sed inferiorem e cardinibus sublatam subbaiulavit credens ianuâ in locum tutum translâtâ domum quoque

fore tutam. Catharina Lisula iter faciebat tardiusculê secumque cogitans: »Quo tardius ibo, eo diutius requiescet Fridericulus«. Maritum cum tandem assecuta esset, Catharina Lisula: »En habeas, Fridericule«, inquit, »ianuam domesticam, ut ipse domum obseres«. »Mi Deus,« maritus inquit, »quam prudens est uxor mea! Quae ianuam inferiorem e cardinibus tollit, ut omnia possint incurrere et superiorem obserat. Nunc autem tempus serius est, quam ut iterum domum eas, sed cum ianuam huc attuleris, oportet eam pergas ferre«. Tum Catharina Lisula: »Ianuam, mi Fridericule,« inquit, »feram, sed poma arida urceumque aceti, qui mihi nimis molesti sint, ex ianuâ suspendam, ut ab eâ ferantur«.

Nunc coniuges silvâ intratâ furciferos illos quaesiverunt, sed non invenerunt. Cum tandem obtenebresceret, arborem ascenderunt pernoctatum. Vix supra advenerant, cum illi viri, qui eas res secum auferunt, quae nolunt abire, et res inveniunt antequam sunt amissae. Qui sine morâ sub eâ arbore consederunt, in quâ sederunt Fridericus atque Catharina Lisula, ignem accenderunt praedam divisuri. Fridericus ex alterâ parte arboris descendit lapidesque collegit, quibuscum iterum ascendit fures iaculando occisurus. At cum lapides proiecti aberravissent, furciferi vocaverunt: »Ecce mox dilucescet, nam vento deiciuntur nucamenta abietis«. Catharina Lisula adhuc umeris tenebat ianuam, eâque graviter premente muliercula cogitans se premi pomis aridis: »Fridericule« inquit, »non possum, quin poma arida deiciam«. Maritus respondit: »Ne facias, Catherina Lisula, ne nunc facias. Ne nos adesse patefacias«. »Ah, Fridericule, deicienda sunt, quia me premunt nimium«. »Si ita, malum, facias!« Tum poma arida inter ramos devoluta sunt, sed viri sub arbore versantes dixerunt: »En aves cacantes«. Paulo post ianuâ adhuc premente Catharina Lisula: »Eheu, Fridericule, non possum, quin acetum effundam«. »Ne hoc facias, Catharina Lisula, ne hoc facias, ne nos adesse patefacias«. »Vae, Fridericule, effundendum est, quia nimium premor«. »Si ita est, malum, facias!« Tum muliercula acetum effudit, ut furciferi aspergerentur. Qui inter se collocti sunt: »En rorem in nos destillantem«. Tandem Catharina Lisula secum cogitans: »Num tam vehementer premor ianuâ?« dixit: »Fridericule, non possum, quin deiciam ianuam«. »Hoc ne facias, Catharinula, ne hoc nunc facias, ne nos adesse patefacias«. »Vae, Fridericule, deiciendast, ne ab eâ premar

nimum«. »Ne hoc facias, Catharina Lisula, fac teneas quam firmissimê«. »Vae, Fridericule, sinam illam decidere«. »Vae nobis« Fridericus respondit hoc aegrê ferens, »fac ut sinas illam in nomine diaboli!« Tum ianua decidit magno cum strepitu, ut latrones infra clamarent: »Diabolus descendit ex arbore !« et omnia deseruerunt in fugâ salutem petentes. Primâ luce ambo cum descendissent, totum aurum sui repertum domum abstulerunt.



Ambobus domum reversis Fridericus: »Heus Catharina Lisula, nunc autem debes sedulo laborare«. »Ah Fridericule, hoc faciam, in campum ibo, ut frumentum reseceam«. Catharina Lisula cum in campo esset, secum collocuta est verba haec: »Utrum comedero antequam resecebo an dormivero, antequam resecebo? Eia, prius comedam!« Tum Catharina Lisula comêdit et comedendo fatigata coepit secare et somniculosa dissecuit omnia vestimenta, encomboma et gunnam et camisiam. Catharina Lisula post longum somnum experrecta seminuda constitit et secum locuta est: »Utrum sum an non sum? Eheu, non sum!« Interim facta est nox, tum Catharina Lisula in vicum cucurrit, fenestrâ mariti pulsâtâ vocavit: »Fridericule?« »Quidnam vis?« »Velim scire, num insit Catharina Lisula«. »Inest, inest« Fridericus respondit, »certê ea intra iacens dormit«. Tum dixit muliercula: »Bene; si ita est, certê iam domi sum« et abiit.


Foris autem Catharina Lisula incidit in furciferos, qui voluerunt furari. Tum illos adiit et dixit: »Velim vos adiuuare furantes«. Furciferi autem, cum putarent mulierculam novisse quandam occasionem furandi, contenti erant. Catharina autem Lisula domos adiit et vocavit: »Vos homines, habetisne aliquid? Nos volumus furari«. Tum furciferi cogitaverunt: »Vae nobis!« et optaverunt, ut a Catharinâ Lisulâ defungerentur. Deinde fures dixerunt mulierculae: »Ante vicum parochus rapas habet agro insitas, vade illuc nobisque napos fac evellas«. Catharina Lisula rus abiit et coepit napos evellere, sed quia pigra erat, corpus vix elevabat. Tum quidam vir praeteriit, conspexit, constitit, cogitavit diabolum napos pervolutare. Qui in vicum cucurrit ad parochum et: »Domine Paroche,« inquit, diabolum est in napinâ tuâ naposque evellit.« »Mi Deus,« parochus respondit, »cum altero pede claudicem, non possum foras exire, ut istum expellem fugemque«. Tum vir dixit: »Agedum, te subbaiulabo,« parochumque subbaiulans foras exiit. Cum autem rus assequerentur, Catharina Lisula profectura surrexit. »Vae nobis, diabolum adest!« parochus vociferatus est, uterque fugâ salutem petivit, et parochus tantâ formidine est correptus, ut pede suo claudo celerius curreret quam ille vir, a quo erat subbaiulatus, pedibus suis sanis.





ET MITTUNT EOS IN CAMINUM IGNIS. IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM.

MATTHAEUS 13, 41sq. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.



DE FRAUDE CLIMATICA (IV)¹



SCANDALO SCIENTIARUM OMNIUM MAXIMO

NECNON SCANDALO OECONOMIAE

PAEDAGOGIAEQUE

ALIIS LUCROSO ALIIS DAMNOSO

**MUNDUS VULT DECIPI:
ERGO DECIPIATUR.**

PARS QUARTA (IV)

¹ fraus *climatica i.q. angl. *climate swindle*; theod. *Klimaschwindel*.

»Scientistae² nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis³ ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. *Falsificatio physica effectuum thermocepitorum*⁴, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carboneum dioxydatum⁵. Nulli sunt mechanisimi physici, quibus carboneum dioxydatum vim habeat ad clima mutandum, et sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carboneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non solum non demonstrari potest, sed est etiam f a l s a ...immo equidem ipse non dubito quin hac (*sententiâ publicê comprobâtâ*) scandalon scientiarum effectum sit maximum omnium temporum... Necnon agitur de scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«

Ralf D. TSCHEUSCHNER⁶

Physicus Germanus

»Aliquot centum miliardae dollariorum profusae sunt, ut hominibus theoria globalis calefactionis anthropogenae imponeretur, quae non sequitur ex indiciis physicis. Haec theoria hominibus vehementer imposita est fabularum horrificarum inculcatione, quae incipit fieri iam in ludi litterarii libris legendis«⁷.

Geraldo Luis LINO

Geologus Brasilianus

² *scientista, -ae m. i.q. theod. *Wissenschaftler*.

³ theod. *Klimawandel*

⁴ effectus *thermocēpicus i.e. theod. *Treibhauseffekt*. cfr. ngr. θερμοκηπίον i.q. theod. *Treibhaus*.

⁵ carbōneum dioxydātum i.q. theod. *Kohlen(stoff)dioxyd*.

⁶ orig.: Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER <https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8>

"Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, Prof. Gerlich und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: Die Falsifizierung der atmosphärischen CO2-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO2 (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO2-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch f a l s c h ...Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen, wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale - pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird..."

⁷ „Hundreds of billion dollars have been wasted with the attempt of imposing a Anthropogenic Global Warming (AGW) theory that is not supported by physical world evidences....AGW has been forcefully imposed by means of a scare stories and indoctrination that begins in the elementary school textbooks.”

cfr <https://wattsupwiththat.com/2010/11/14/climate-change-the-keywords-part-2-of-3/> Geraldo Luis LINO, geologus Brasilianus, qui scripsit librum a.2009 editum, c.t. est: “The Global Warming Fraud: How a Natural Phenomenon was converted into a False World Emergency”.



**MULTI PSEUDOPROPHETAE SURGENT
ET SEDUCENT MULTOS**

Matthaeus 24,11

ECCE ALBERTUS GOREUS

PSEUDOPROPHETA APOCALYPTICUS


MILIARDARIUS CLIMATICUS

»Albertus Goreus est primus homo politicus, qui denuo ausus est – saltem in mundo occidentali – in publicum prodire personâ prophetae indutus. Ut ita dicam: Is vir cursu honorum politico parum prosperê facto cursum cepit prophetae prosperrimum idque materiis usus scientiarum, quae videntur esse rationis novissimae. Istam quidem prophetiam sentio esse mixturam perniciosam...

His decenniis a liberalitate atque quodam genere rationalismi massalis nos raro remotiores eramus quam hodie – immo, res nostra versa est in contrarium: Denuo incidimus in manûs prophetarum«¹.

NORBERT BOLZ

¹ »Al Gore ist der erste Politiker, der es wieder gewagt hat – zumindest in der westlichen Welt – als Prophet aufzutreten. Und man könnte sagen, er hat an seine gescheiterte Politikerkarriere eine sehr erfolgreiche Prophetenkarriere angeschlossen und das interessanterweise mit dem Material scheinbar avantgardistischer Wissenschaften. Das ist eine – wie ich finde – unheilvolle Mischung. ... Selten waren wir in den letzten Jahrzehnten weiter entfernt von Liberalität und einer Art Massenaufklärung als heute – ganz im Gegenteil: Wir sind wieder in die Hände von Propheten geraten«.



ECCE CLIMATOLOGUS TEMPERATURAM IGNITABULO FALSANS !

»VERITAS INCONVENIENS«

(Titulus libri Goreani)

ALBERTUS GOREUS PSEUDOPROPHETA MILIARDARIUS CLIMATICUS¹

Locutrix: ...scilicet omnibus praeire *Albertus Goreus* – quasi sit *Robinus Hood* beneficiorum climaticorum – particeps concentûs musici terrarii directê per totum globum transmissi. Si tardissimê, ex fine septimanae proxima scimus, quantum valeant lampades energiae parcendae – nam *Albertus Goreus* dicit nos aliter non posse impedire, ne planeta noster intereat calamitatum climaticarum omnium maximâ quae possint mente confingi. Ad hoc demonstrandum *Albertus* sibi composuit theoriam climaticam specialem. At liceat hanc theoriam quaerendo perscrutari. Audite *Guntherum Ederer*:

Ederer: Cantores populares illustrissimi ubique terrarum nullo lucari accepto cantant pro tutelâ climatis – cantores illustrissimi, qui alioquin circa globum terrestrem rapidissimê volitare solent proprio aeroplano pyraulico. Ecce concentus giganteus, qui fieri non posset sine isto viro, *Alberto Goreo*, qui quondam fuit vice-praeses Americanorum. Nonne îdem modo demum accepit praemium Oscarianum pro cinemate suo, cui titulus est: *Veritas incommoda* (“*An inconvenient truth*”), quo contenditur calamitatem climatis imminentem effici ab hominibus. Spectate partem huius cinematis sequentem:

„Europaei modo patiebantur annum, qui nostro valdê similis erat et de quo homines dicebant naturam delirare. Fiebant calamitates omnes possibles – quodammodo fiebat iter per librum *Apocalypseos*.“

Ederer: Animus *Sigmaris Gabrielis* Germaniae ministri circum-iectorum descriptione calamitatis climaticae *Goreanâ* tam vehementer inflammatus est, ut statim emeret sex milia cinemata, ut eadem adhiberentur in institutione scholarum Germanicarum. En rem singulariter factam ! Ecce *Sigmarus Gabriel* in Europae conferentiâ ministrorum, quibus mandata sunt circumiecta. Hôc loco imago mundi *Goreana* fit programma politicum. *Sigmarus* autem recusavit, ne nobiscum haberet colloquium interrogatorium – quod dolendum est,

¹ <https://www.youtube.com/watch?v=UPB6pZ-4kGo#t=129.085668>. Experten warnen vor Al Gore und dem Klimaschwindel. Am 10.07.2007 veröffentlicht

nam nonnulla in cinemate Goreano dicta nihil sunt nisi commendatio propaganda. Ut exemplum afferamus: Scilicet oportere, ut cinemati Goreano insit ursus maritimus, qui ab Alberto Goreo dicitur fame perire, quia tempestas nimis calida sit. En partes cinematis Goreani, quibus inest ursus maritimus:

„Novâ disquisitione scientificâ demonstratur primum invenisse ursos maritimos aquis submersos. Quia iisdem natandum fuerit per longas distantias, per centum ferê chiliometra, ut invenirent glaciem continuam, <ubi requiescerent>. Hoc antea iis non acciderat.“

In Monacensi museo zoologico convenimus *Professorem Iosefum Reichholf*. Qui scientista etiam extra Germaniam bene famatus, qui docet in utrâque universitate Monacensi, totam scaenam calamitosam, quae dicitur effici calefactione terrae, habet pro ineptiâ pseudo-scientificâ.

Prof. Iosefus H. Reichholf zoologus Monacensis:

„Ursi maritimi ultimam aetatem calidam apparent sine ullâ difficultate perduravisse, quâ tempestas fuit multo calidior quam aetate nostrâ, tam calida, ut hippopotami viverent in Rheno et in Tamesi. Quod ursus maritimus hodie – reverâ – periclitatur, ex eo efficitur, quod ab hominibus sclopetando necatur et extirpatur et quia ab iisdem capiuntur vel sclopetando necantur nutrimenta ursi maritimi praecipua, i.e. phocae sive vituli marini, sed ursi maritimi non periclitantur, quia glacies iisdem est nimis tenuis“.

In parlamento Europae Bruxellensi convenimus unum e criticis scaenariorum calamitatis climaticae praecipuis, *Professorem Fridericum (Fred) Singer*. Ecce quae munera scientifica eidem viro sunt mandata: Decanus scientiarum circumiectalium Universitatis Virginianae, Primus Director Nationalium Ministrationum Satellitum Meteorologicorum, Scientista Praecipuus Ministeriorum Americanorum et Vir Rerum Specialium Peritus ad Congressum pertinens. Bruxellis loquitur coram legatis Britannis. Brevi ante Fridericus convênit gubernationem Batavicam. Mense Aprili îdem vir invitatus erat, ut peritiae suae causae loqueretur in Sede Vaticanâ, mense Iunio Berolini iudicavit de cinemate Alberti Gorei:

„Id cinema reverâ bene confectum est, verê excellenter. Occasione usus sum cum Alberto Goreo colloquendi illumque laudavi propter cinematis excellentiam

technicam. Illi dixi: ‚Id cinema reverâ est valdê persuasibile, valdê persuasibile, si spectator ignorat scientias.‘ – His verbis ille non valdê est delectatus.“

At in scholis Germanicis non solum cinema Alberti Gorei calamitosum sine ullâ adnotatione criticâ divulgatur. Organisationi ‚*German Watch*‘, quae parti politicae Prasinorum est propinqua, licet adolescentibus inculcare idem scaenarium calamitosum. Haec autem inculcatio sic sonat:

Martinus Fliegner (*German Watch*, i.e. *Vigilia Germanica*):

„Modo audivimus libram maris reverâ augeri posse 1,40 (uno – virgula – quadraginta) metris, et anno 2100 – quis hoc scit? – aquis submersae essent urbis Bremae partes octogena vel nonagena centesima.“

Brema aquis submersa – en rem verbis immodicê exaggeratam! Nonne Consilium Climatis Mundanum nuper demum prognosin suam librae maris exauctae deminuit usque 30 centimetra! At *Vigilia Germanica* iam 25.000 discipulos docuit formidinem – ab oeconomis assecurationum pecuniâ adiuta.

Fliegner: „Pecunia datur etiam ab aliis, e.g. a Monacensi Fundatione Reciproca (*Rückstiftung*). Fit pecuniae comparatio reciproca per Unionem Europaeam. Sed talis comparatio semper laboriosa, perlaboriosa...“

Ecce *Schwabing* tribus urbis Monaci: Haec est sedes huius fundationis. Volumus scire, num eidem fundationi notum sit, qualia scaenaria terrificata adiuvet.

Thomas Loster (procurator Monacensis Fundationis Reciprocae): „Equidem comprobo interdum etiam fieri, ut animo fingatur res impossibilis; nam oportet – ut apparuit attentatione Centri Commercii Mundani (*World-Trade-Center*) – etiam cogitare rem incogitabilem, si vis terram intellegere.“

Num attentationes tromocraticae adhibentur ad calefactionem climatis demonstrandam? Quo peior calamitas, eo aptior est ad scaenarium climatis depingendum – etiam in cinemate Alberti Gorei. Audi verba eius originalia:

„Hic est *Manhattan*. Hoc est monumentum Centri Mundani praedispositum. Rebus terribilibus d.11 m.Sept. factis diximus: ‚Ne fiat umquam iterum!‘ At de


Manhattan fierent ea quae sequuntur: Scientistae haec tam accuratê sciunt computare quam sciverunt praedicere, quantâ copiâ aquae futurum fuisse, ut aggeres Neo-Aurelianenses (*New Orleans*) frangerentur. Area, in quâ erit Monumentum Commercii Mundanii, aquis esset submersa.“

At – nullus scientista praedicit Novum Eboracum aquis submersum iri! Hoc nemo praedicit nisi Albertus Goreus vir politicus et - Germani climatohysterici!

Prof. Fridericus Singer (US-climatologus): „Puto Germaniam habere problema magnum. In Germaniâ pauci sunt homines universitarii, qui huic rei (calefactioni globali) obloquantur. Omnino aliter res se habet in Bataviâ, omnino aliter in Canadâ, omnino aliter in Neo-Zelandiâ. Ibi homines universitarii, i.e. homines, qui sunt professores illustres, istam hysteriam vituperant. In Germaniâ hoc non fit. Nescio, quâ re“.

Neque concentûs musici ubique terrarum quamcumque benevolenter peracti ullo modo pares erunt causis climatis mutati ratione scientificâ tractandis.

Locutrix: „Etiamsi hoc non quadrat ad „clima“ (i.e. affectum animorum) publicum, nos diurnarii (emissionis televisificae, q.d.) „*Report München*“ pergemus quaestiones proponere incommodas.“



DE MENDACIIS ALBERT GOREI¹

Multis hominibus tempestas et clima videntur esse res eadem. Omnes autem rei periti inter se consentiunt de hac re: Clima est valor tempestatum medius statisticus per minimum triginta annos computatus.

Cancellaria Angela Merkel:

„...quantum in climate tutando progressi simus, non licet a.2050 demum mensurare. Egemus valoribus spatio medio petendis...“

Cancellaria foederalis Angela Merkel d.17. m.Dec. a.2009 in Foederali Conventu Legatorum Germanico orationem habens

Prof.em. Horst-Joachim Lüdecke (qui scripsit librum, c.t.: „De carboneo dioxydato et tutelâ climatis“):

„Nemo potest tutari medios valores statisticos. Non potes tutari clima! Stultê dictum!“

At in Britannîâ maiore facta est res ingens:

- **Novem errores** –

Iudices Suae Maiestatis declaraverunt cinema Alberti Gorei continere novem minimum errores, et interdixerunt, ne cinema Goreanum publicê monstraretur nisi expressis verbis indicarentur isti errores graves:

1. D(ominus) Goreus contendit montibus glacialibus liquescentibus libram maris mox auctum iri sex metris.

- **FALSUM** –

Iudices declarant: Hac sententiâ res immensê exaggeratur. Si ullum augmentum animadvertetur, hoc non fiet nisi demum per spatium complurium mille annorum.

2. D. Goreus contendit corallieta² Oceani Pacifici profundiora iam esse ab hominibus derelicta.

- **FALSUM** –

Iudices declarant: Huius rei omnino nullum est indicium.

¹ Klimaschwindel – Die Lügen des Al Gore! <https://www.youtube.com/watch?v=dIQiNvQ-424> am 30.11.2015 veröffentlicht.

² *coralliētum, -i n. *Atoll, Korallenriff*.

3. D. Goreus contendit *Fluentum Sinuarium*³ Oceani Atlantici calefaciens desinere fluere.

- FALSUM –

Iudices declarant: Hoc omnino non est verisimile. Fluentum Sinuarium marinum, si aliquatenus mutabitur, tantummodo paululum deminuetur.

4. D. Goreus duo diagrammata monstrat, in quibus indicantur augmenta carbonei dioxydati et temperaturae spatio 600.000 annorum facta, quorum unum ad alterum exactê congruit.

- FALSUM –

Iudices declarant: Duo diagrammata argumento non sunt sententiarum Alberti Gorei.

5. D. Goreus dicit nivem in monte *Kilimandscharo* sitam evanuisse calefactionis globalis causâ.

- FALSUM –

Iudices declarant: Credibile fieri non potest nivem in monte *Kilimandscharo* sitam maximâ ex parte evanuisse mutatione climatis ab hominibus effectâ.

6. D. Goreus contendit lacum *Tschad* exaruisse calamitatis climaticae globalis causâ.

- FALSUM –

Iudices declarant: Haec sententia nullo modo est demonstrata.

7. D. Goreus contendit furacanam *Katrinae* effectum esse calefactione globali.

- FALSUM –

Iudices declarant: Ista sententia ultro mente conficta est!

³ **Fluentum *Sinuārium** i.q. theod. *Golfstrom*, angl. *gulf-stream*; hisp. *Corriente del Golfo*; fr. *le Gulf Stream*; ital. *Corrente del Golfo*. cfr. J.E. Wappäus, *De Oceani fluminibus*. Gottingae 1836, p.2: flumen Floridae. Quod mihi videtur esse nomen parum aptum. De origine nominis nominibusque veterioribus v. <https://de.wikipedia.org/wiki/Golfstrom>: "...Der Name Golfstrom wurde von Benjamin Franklin geprägt und bezieht sich auf den Golf von Mexiko. Früher wurde er auch „Floridaström“ genannt, auf den Karten des 16. und 17. Jahrhunderts heißt er *Canal de Bahama*."

8. D. Goreus contendit ursos maritimos mortuos esse inventos. Quos glacies pontivagas quaerentes postquam per 90 chiliometra natavissent, aquis submersos esse.

- FALSUM –

Iudices declarant: Usque nunc ursi maritimi mortui non sunt inventi nisi quattuor, qui aquis submersi sunt procellâ saeviente.

9. D. Goreus contendit periculum esse, ne corallieta intereant climate mutato.

- FALSUM –

Iudices declarant: Variarum causarum, e.g. mutatio climatis, piscatio exaggerata, contaminatio circumiectorum quantum singulae valeant, determinari non potest.

Multi parentes Britanni id pro scandalo eximio habuerunt, quod gubernatio socialistarum Londinensis noluit discipulis indicare errores crassos cinematis Goreani, quia timuit, ne nuntius politicus istis indicatis ingrâtâ ratione infirmaretur. Quid nam homines in Germaniâ de hâc scandalo acceperunt stationibus televisificis (*ARD et ZDF*) et ephemeridibus commentariisve periodicis? Apparet eos haud multa accepisse!

Brevi ante summitatem Nationum Unitarum climaticam Hafniensem, quae facta est m.Dec. a.2009, subito nuntius innotuit maximê terrificus: A diurnariis inventum est commercium epistoliorum electronicorum inter zelatores thesis mutationis climaticae anthropogenaee factum, in quo agebatur de eventibus investigandi fraudulenter mutandis et de documentis infamibus delendis. Celeriter percrebruit nomen *climategate* (i.e. scandalon climaticum). Nam istis epistoliis electronicis permulta argumenta insunt, quibus res publicae quassantur. Nomen „*climate-gate*“ confictum directê spectat ad illum casum *Watergate* a.1972 factum, quod fuerat usque illud tempus scandalon politicum Civitatum Unitarum omnium maximum. Propter hunc casum *Richardus Nixon* illo tempore praeses Americae magnâ infamiâ contractâ a munere recessit. Interim climatico quoque scandalo ubique terrarum effectum est, ut homines politici a muneribus recederent, e.g. *Phil Jones*, director investigandi Universitatis Angliae Orientalis. In Australiâ hoc scandalon tamquam

terrae motus vim habet etiam mediâ in gubernatione: *Malcolm Turnbull* Australiae minister circumiectorum, non potuit, quin a munere suo recederet.

Wolfgang Muller (IUF = Institutum Libertatis negotiatorum):

„Scandalon climaticum reverâ simile est illi scandalo *Watergate*, immo etiam fatalius est illi, quia hoc non solum spectat ad unum tantum hominem, sed agitur de thesi quadam, qua nixae sunt aliquot centum, immo mille stationum investigandi, qui eadem effecerunt, ut compararent pecuniam sibi necessariam, necnon agitur de complexu oecologico-industriali, cuius fautores provocare solent ad vaticinia Consilii Climatis Mundani apocalyptica.“



Merchant of Fear Funding Global Warming Fearmongering

Global warming con rigged to accrue massive profits for the banksters.

Arch bankster and cultural wrecking ball, George Soros, pours funds in the direction of Al Gore, the fake climate change guru.

Global warming scam is in meltdown.

The icecaps aren't

An Inconvenient Truth

British Judge Rules Al Gore's Film Contains 9 Scientific Errors

1. Sea-level will NOT rise by 20 feet
2. Pacific atolls NOT being inundated
3. Ocean Conveyor NOT shutting down
4. CO2 levels and a rise in temperatures NOT on "exact fit"
5. Scientists have NOT established that Mt. Kilimanjaro's snow recession is attributed to global warming
6. Insufficient evidence that global warming is drying up Lake Chad
7. Global warming did NOT cause Hurricane Katrina
8. Polar Bears are NOT drowning because of global warming
9. Insufficient proof coral reefs are being bleached by global warming

From Your News Wire: George Soros Paid Al Gore Millions to Lie about Global Warming

NUM ALBERTUS GOREUS CORRUPTUS EST A GEORGIO SOROS?¹



Secundum revelatores DC (*DC Leaks*) Georgius Soros Instituto suo Societatis Apertae usus Alberto Goreo in anno solvit denos miliones dollariorum.

Documentis per rimam informaticam percolatis revelantur deni miliones dollariorum in anno pro numeris fraudulenter fictis soluti

Scriptis: Jay Greenberg |@NeonNettle d.25 m.Ian. a.2017 @ 7.30pm, in Latinum convertit LEO LATINUS.

Documentis nuper per rimam informaticam planiformae revelatricis DC percolatis revelatur² *Georgius Soros*³ miliardarius parti politicae

¹<http://www.neonnettle.com/news/1722-george-soros-bribed-al-gore-millions-to-lie-about-global-warming>

George Soros Bribed Al Gore Millions to Lie About Global Warming. - Leaked documents reveal \$10M per year for fabricated data

² orig.: „Newly leaked documents from whistleblowing website, DC Leaks, reveal...”. – **rīma infōrmātica** i.q. *data leak*. – ***plānifōrma revēlātrīx**, i.q. *whistleblowing website, platform*; theod. *Enthüllungsplattform*. **percōlārī** i.q. *to be leaked out*. – **revēlātor**, -ōris m. *whistleblower* (cfr catalanicē *revelador d'informació*). – **penetrātor** (computātrālis) *hacker*.

³ *George Soros* alias *György Schwartz* (*a.1930), praedives investor speculatorque pecuniarius, qui retificio suo institutorum sub praetextu philanthropiae conditorum ferē ubique terrarum tantam vim habet ad rem oeconomicam politicamque, ut nationum viri politici nil esse videantur nisi neurospasta, quae diriguntur manibus Sorosianis. Georgius, qui a nonnullis appellatur vir omnium huius mundi esse periculosissimus, aestimatur possidēre 25 ferē miliardas dollariorum.

liberali favens Instituto suo Societatis Apertae⁴ usus esse *Alberto Goreo* \$10.000.000 (denos miliones dollariorum) in anno solvens, ut îdem coram publico mentiretur quoad effectûs, quos ad planetam habere dicatur calefactio globalis ab hominibus effecta.

Secundum documenta Georgius Soros gregi Alberti Gorei quondam Vicepraesidis circumiectali⁵ per spatium triennale dedit miliones dollariorum, ut is *crearet spatium politicum, quo fierent actiones Civitatum Unitarum aggressivae quoad calefactionem globalem*⁶.

Ecce ea quae referuntur a YNW:

In aliquo documento Instituti Societatis Apertae (OSI), quod per rimam informaticam DC percolatum est, leguntur haec verba: “*US-programmata, quae spectant ad calefactionem globalem, ex quattuor ferê annis operantur in calefactione globali tractandâ, idque Georgio Soros admonente. Dispensatio oeconomica calefactionis globalis causâ fuit undecim milionum dollariorum inter annos praeteritos. Hac dispensatione Georgius Soros obligatur, ut in anno solveret denos miliones dollariorum per spatium triennale Alberti Gorei Alligantiae Climatis Tutandi, quae homines publicê instituit re climaticâ, ut creet spatium politicum, quo fierent actiones Civitatum Unitarum aggressivae, quae congruunt cum iis rebus, quas scientistae dicunt esse necessarias, ut natio nostra viae imponatur, in quâ emissiones suas carbonei dioxydati deminuat.*”

Incertum est, quo anno hoc memorandum sit missum, sed Goreana *Alligantia Climatis Protegendi*⁷ a.2006 constituta duravit, usque dum m.Iul. a.2011 fieret *Inceptum Realitatis Climaticae*⁸. Diurnarii ephemeridis, q.d. *Washington Post*, rettulerunt a.2008 Alligantiam Goreanam sumptibus 300 milionum dollariorum expeditionem fecisse commendativam, qua adhortaretur *Americanos, ut curarent emissiones gasorum thermoceptorum aggressivê deminuendas.*

⁴ orig. *Open Society Foundations (OSI)*.

⁵ grex *circumiectâlis i.q. angl. *environmental group*.

⁶ orig. “*to create a political space for aggressive U.S. action on global warming*”.

⁷ orig. *Alliance for Climate Protection (ACP)*. +alligantia, -ae f. DuC.

⁸ orig. *The Climate Reality Project*.

Secundum acta ad vectigalia spectantia a.2008 Alligantia (ACP) ab Instituto Societatis Apertae (OSI) accepit decem miliones dollariorum, a.2009 quinque miliones dollariorum. Grex relatorum investigativorum, c.n. est *ProPublica*, habet datothecam, cui inscriptae sunt remissiones vectigalium, quae a.2000-2013 Instituto Societatis Apertae sunt concessae. Ipsum DCNF⁹ alios annos, quibus idem Institutum Alligantiae pecuniam dedit, invenire non potuit.



Albertus Goreus dicitur calefactione globali sibi comparavisse divitias ingentes

Albertus Goreus dicitur calefactione globali fecisse ingentem fortunam. Institutum Societatis Apertae imprimis est fundatio non-commercialis, quae quotannis miliones dollariorum largitum est plerumque propter res, quae spectant ad partem politicam sinistram. Hoc institutum Sorosii non-commerciale, cui interim impositum est nomen *Fundationum Societatis Apertae*, intra tria decennia praeterita plus 13 miliardas largitum est.

Idem Institutum non solum praedisposuit pecuniâ adiuvere gregem climatis Goreanum, ut res politica calefactionis globalis in Civitatibus Unitis promoveretur, sed etiam largiri miliones dollariorum ad *Motum Iuvenum Climaticum*¹⁰ fovendum.

⁹ i.e. *Daily Caller News Foundation*.

¹⁰ orig. *Youth Climate Movement*.

Porro in memorando scripta sunt haec: “*Hac dispensatione oeconomica etiam fieri potest, ut renovetur adiumentum Coalitionis Actionis Energeticae¹¹ diu factum, quae in Civitatibus Unitis potissimum organizat Motum Iuvenum Climaticum*”.

Praeterea leguntur in memorando haec: “*Etiam includimus duos miliones dollariorum additicios, quibus pergatur fieri discussio publica de calefactione globali ab Instituto OSI tractanda. In loculamento¹² consiliis strategicis completo est memorandum a Nancy Youman scriptum, quo commendantur viae, quibus pro Instituto OSI foveatur thema climaticum – et in Civitatibus Unitis et in aliis quoque partibus Retificii Societatis Apertae¹³.*”



EN TEMPESTATEM MUTATAM: Ben Garrison gryllographus sperare videtur Donaldum Trumpium praesidem Civitatum Americae Unitarum nationalismo suo tamquam turbine perturbatum esse globalistas corruptos.

¹¹ orig. Energy Action Coalition.

¹² loculamentum, -ī n. angl. binder; theod. Ordner.

¹³ orig. Open Society Network.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



AURI SACRA FAMES

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SECUNDAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Lunae, d.02. m.Oct., a.2017

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>